



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Prolocutio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



R. P.  
**LEONARDI LESSII**  
**AVCTARIVM** ad I. 2.  
 COMPLECTENS  
**VARIORVM CASVVM CONSCIENTIÆ**  
**RESOLUTIONES.**

PROLOGVTIO AD LECTOREM.

**L**ara, breuis, & distincta illa methodus, qua perplexam de Conscientia materiam, Auctor noster, ad quaestionem XIX, superiore libro complexus est, me excitauit, vt hic nonnullas e multis Casuum conscientia resolutiones AVCTARII in modum adijcerem, quas ipse iam inde ab anno precedentis seculi millesimi quingentesimi nonagesimo quarto, vsque ad annum nunc currentis vigesimum tertium, vita sua postremum, e varijs mundi regionibus consultus, in aduersarijs annotauit. Scio quidem hęc omnia festinanter, & primā, vt aiunt, manu, ab homine plurimis negotijs distracto, valetudine infirma, vrgentibus responsum nuntijs conscripta, non ea mente vt lucem aliquando viderent, sed vt perplexis mentibus assusas tenebras dissiparent. Vnde pręmonitum Lectorem velim, ne hic Viuum LESSIUM in posthumo requirat: sed vel hinc gratum laborem meum habeat, quod De tanti viri laboribus (verba sunt Reuerendi admodum P. N. MVTII VITELLESCI Societatis nostrę Prępositi Generalis) quā minimum perire patiar. Vt verò compendio tuo seruirem, totam hanc materiam à LESSIO, vt fors & tempus obtulerant, absq; ordine, plerumque etiam sine interrogacione conscriptam, per verba ordine alphabetico digessi; quod cuiusque responsi breuior clariorque vtilitas ad te perueniat; & ne, quod de Sibyllinis oraculis Poëta canit, hęc Rapidis fiant ludibria ventis. Tu affectum benignè consule.

ABSOLVTIO.

CASVS I.

Abolutio absque signo doloris.

*Tilius inopinatò incidit in articulum mortis, adeò vt nullum tunc signum doloris vel contritionis dare possit: nec verò antea ullam dedit significacionē, eò quòd vis morbi subito usum rationis impediterit.*

QVÆRITVR, An liceat ei beneficium Sacramentalis absolutiois impendere?

**H**oc licitum esse, videtur probari posse. Primò, Auctoritate Cordubę qu. 36. de Indulg. vbi id docet. Secundò, Quia in tali casu licitum est ei impendere Sacramentum extremę Vnctionis, & Eucharistia, & beneficium absolutiois à censuris, vt patet ex praxi Ecclesię, & communi sententia Doctorum. Cur non etiam à peccatis? Tertiò, Quia parum

videtur referre vtrum edat signa contritionis in genere, an non; cum huiusmodi signa non sint confessio peccatorum. Si ergo absolutio potest dari editis signis contritionis, poterit etiam dari non editis, quando putatur infirmus esse in statu idoneo.

His tamen non obstantibus, omnino tenendum videtur contrarium. Primò: Quia solus Corduba id docet, idque nullā allatā ratione, & obiter duntaxat, his verbis: *Absoluat eum à censuris, si quis ligatus teneatur; & etiam dicat: Absoluo te à peccatis: valeat quod valere potest.* Hęc ille. Ceteri Auctores vel docent non posse dari absolutioē Sacramentalem, etiam si adsint signa contritionis, nisi aliquid in particulari possit confiteri; vt Sotus, Canus, Nauarrus: vel certe requirunt signa contritionis; vt Ioannes Medina, & alij recentiores.

2  
Sententia  
negatiua  
tenenda.

N

Secundò;